

PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

Mirifica Portenta	(MARCOS)
De «cursu» in orationibus liturgicis	(ALVAREZ)
Behemicae poeseos specimen	(PALATA)
Otium Divos...	(LASERNA)
De Orthographia latina	(JIMÉNEZ)
Molae Subterraneae	(VIATOR)
De Boëthianis Metris	(MARTINEZ)
Claretiana	(SURREBAS)
Per Orbem	(JIMÉNEZ)
Bibliographia	(HERRERA)
Homeri Odyssea	(I, 1-112)


Ordinarii et Superiorum permissu



in Latinum
translata a R.
P. Ludovico
MARCOS
C. M. F.
Villae Rosarii
in Argentina
litt. Lat.
Professore.


LXVII

Jaque animam agebant
vinculis arctius ad collum
constrictis periculoso ele-
phantis ludo.



LXVIII

Tandem elapso ex funibus
ligno vitam et libertatem
fortunatius ambo adipis-
cuntur.




LIX

Alternis gaudiis videres ca-
nem et hominem bacchan-
tes ubi primum facile se
laqueis explicarunt.



LXX

Porrecta camporum aequo-
ra linquere statuerunt, as-
pera montium tutiora cen-
sentes.



Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Prov. Ilerdensi.

La Fiesta Santificada

Lauria, 5 (Apartado, 1042) Barcelona

La hojita de propaganda religiosa más popular en toda España. Se reparte en muchas parroquias los domingos y fiestas del año.

Misioneros Mártires. — Historia de dos Niños. — Angel de la Juventud. — El Niño y la Niña piadosa. — Misa y Vísperas. — Espíritu del Beato P. Claret. — Bloks Claretianos. — Maná del Cristiano.

GRAFICAS CLARET
Lauria, 5 (Apartado 1042) Barcelona

FABRICA DE MEDALLAS
CRUCES :: DISTINTIVOS
INSIGNIAS :: ETC.

AUSIÓ

PROVENZA, 376
BARCELONA

FOTOGRAFADOS
M. SOLANO



Aribau, 9, interior - Teléfono, 30255

BARCELONA

ENCUADERNACION
EDITORIAL
Y PARTICULAR

J. NAVARRO

MATILDE, 7
TELEFONO, 78193
BARCELONA (G.)

REVISTAS

Editadas por PP. Misioneros del Corazón de María
Buen Suceso, 22 - MADRID

Ilustración del Clero (mensual)
El Iris de Paz (quincenal)
El Misionero (mensual)
Tesoro Sacro Musical (mensual)

www.culturaclasica.com

COCULSA
P. de Rosales, 48 - MADRID

Camino Recto. — Mi Jesús. — Mi Angelito. — Misal Diario. — Colegial o Seminarista Instruido. — Devocionario Anoniano. — Kempis Eucarístico. — Horas del Corazón. — Visitas al Santísimo. — Tesoro de Indulgencias. Manual de Liturgia Sagrada. — Titulos y Grandezas de María. — Tratado de Arqueología y Bellas Artes.

Textos Palaestra

Preparados por PP. Misioneros del C. de Masía

Pídanse a la Administración:

Lauria, 5 (Apartado, 1042) - BARCELONA

Hist. Sacrae Compendium
para el primer Curso latín . . . 4 ptas.

Epitome Historiae Graecae
para el 2.º curso . . . 5 ptas.

Ciceronis Epistulae Selectae
para el tercer curso
sólo texto latino . . . 1 pta.
con notas y vocabulario . . . 3 ptas.

Ciceronis Pro Archia Poeta
para el 4.º Curso de latín
sólo texto latino . . . 1 pta.
con notas y vocabulario . . . 3 ptas.

Ciceronis in Catilinam
para el 4.º curso
solo texto latino . . . 1 pta.
con notas y vocabulario . . . 3 ptas.

Vergili Aeneidos liber II
para el 5.º curso
sólo texto latino . . . 2 ptas.
con notas y vocabulario . . . 4 ptas.

Prudentii Carmina Selecta
para el 6.º y 7.º curso . . . 6 ptas.

1.º Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestiona-
rio Oficial 3 ptas

2.º Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestiona-
rio Oficial 5 ptas.

Horatiana

Colección de Estudios
Horacianos. 6 ptas.

Palaestra Latina*

Agotadas las colecciones completas,
sólo podemos servir varios
años sueltos.
Cada año retrasado . . . 12 ptas.

REPETITORIUM

en tela (papel superior) 15 ptas.
en cartóné 12 ptas.

De este hermoso libro de prácticas de latín, más que cuanto nosotros pudiéramos decir, lo declara elocuentemente la siguiente carta que el Excmo. y Rdm. Sr. Dr. D. Miguel de los Santos Díaz de Gómara, Obispo de Cartagena y A. A. de Barcelona, ha tenido a bien dirigir a su autor.

El Obispo de Cartagena, Administrador Apostólico de Barcelona
9 de Diciembre de 1941

Rdo. P. José M.ª Jiménez Delgado, C. M. F.
Ciudad

Muy estimado en el Señor; He recibido el ejemplar de su REPETITORIUM, que con su grata del 5 ha tenido Vd. la bondad de remitirme.

Le felicito cordialísimamente por esta nueva Obra, a la que efusivamente bendigo y para la que anhelo vivamente el mayor éxito. Con la graduación de sus temas, con lo atractivo de su contenido, con las ilustraciones del texto y demás facilidades que ofrece su Libro, ciertamente ha de ayudar a cuantos se sirvan de él en la pronta adquisición de la lengua del Lacio, cuyo aprendizaje cuesta a veces por no tener a mano guías tan adecuadas como este REPETITORIUM, cuyo empleo tanto facilitará su labor a los alumnos de latín. — Una vez más demuestra V. con esta obra cuánto se preocupan los Hijos del Inmaculado Corazón de María en seguir las huellas del Bto. P. Claret, que no solamente fué tan excelso Misionero, sino fomentador constante de las ciencias eclesiásticas, como lo es su Congregación, cuidando ante todo de divulgar el conocimiento de la lengua oficial de la Iglesia, que es a la vez la llave de oro de la antigua sabiduría.

Con todo afecto a V. R. saluda, felicita y bendice

† EL OBISPO, A. A.

Cum emetis, PALAESTRAM, LATINAM nuntiantibus referetis

PALAESTRA LATINA

SEU DE LATINITATE COMMENTARIUS ALTERNIS MENSIBUS EDENDUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 20 pesetaram in Hispania et Lusitania, 22 pes. in America et Philippinis Insulis, et 22 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

De «cursu» in orationibus liturgicis ¹

Orationum liturgicarum nomine veniunt tres illae partes Missae quae sub his titulis indicantur in Missali Romano: *Oratio*, nempe, *Secreta* et *Postcommunio*.

Harum orationum cursum vocamus rhythmum ipsarum, in fine praesertim membrorum, quo, *Ciceronem* prosecuti, et alii scriptores latini usi sunt, hac tamen differentia, scilicet, ut veteres scriptores rhythmum quaerent in armonica syllabarum longarum et brevium combinatione; ecclesiastici vero auctores, tonicum accentum mallent ut normam.

Quattuor species praesertim fuerunt in usu:

Cursus planus, in quo 2.^a et 5.^a syllaba a fine accentu gaudent,

Schema: — — / — — / —

Exemplum: mentibus nóstris infúnde.

Cursus tardus, in quo 3.^a et 6.^a notantur.

Schema: — / — — / — —

Exemplum: incarnatiónem cognóvimus.

Cursus velox, 2.^{am} et 7.^{am} signat.

Schema: / — — — — / —

Exemplum: glóriam perducámur.

Cursus dissondaicus, tandem, qui 2.^{am} et 6.^{am} ornat.

Schema: — / — — — / —

Exemplum: uno páne satiásti.

His notionibus praelibatis, quasdam orationes analysi subjiciamus, ut integrum ipsarum cursum liceat perspicere.

1 Breves «cursus» notiones tradunt communiter liturgistae. Cfr. ex. gr.: R. AIGRAIN, *Liturgia*, Paris, Bloud et Gay, 1930, p. 348, L. EISENHOFER, *Grundriss der katholischen Liturgik*, Freiburg, Herder, 1926, p. 47. Ampliorem monographiam composuit Angelus DI SANTI S. J., *Il «cursus» nella storia letteraria e nella liturgia*, Roma, Desclée, 1903. De «cursu» in aliis documentis disseruit Franciscus DI CAPUA, *Il ritmo prosaico nelle lettere dei Papi e nei documenti della Cancelleria Romana*, Roma, Lateranum, 1939.

En *orationem* certe vulgatissimam:

Deus, qui nobis sub *sacraménto mirábili* (3, 6 = c. tardus)
passionis tuae *memóriam reliquisti*, (2, 7 = c. velox)
tribue quaesumus: (3, 6 = c. tardus)
ita nos Corporis et *Sanguinis, tui*, (2, 5 = c. planus)
sacra mysteria venerari, (2, 7 = c. velox)
ut Redemptionis tuae *fructum in nobis* (2, 5 = c. planus)
júgiter sentiámus. (2, 7 = c. velox)

Haec *Secreta* brevissima quidem est, sed pulcherrima;

Haec nos *oblátio, Déus* (2, 5 = c. planus)
mundet, *quaesumus et renovet* (3, 7 = c. liber)
gubérnet et protégat (3, 6 = c. tardus)

E *Postcommunionibus* illam seligo qua saepissime utimur, nempe:

Gratiam tuam, *quaesumus, Dómine*, (3, 6 = c. tardus)
mentibus nóstris infúnde: (2, 5 = c. planus)
ut qui, *Angelo nuntiánte*, (2, 7 = c. velox)
Christi Filii tui *incarnatióem cognóvimus* (3, 6 = c. tardus)
per *Passionem éjus et Crúcem* (2, 5 = c. planus)
ad resurrectionis *glóriam perducámur*. (2, 7 = c. velox)

In tribus adductis exemplis optima videtur cursus distributio, ut non idem iteretur sed alternis vicibus cum aliis commutetur.

Saeculo VII ineunte, cursum reliquerunt scriptores, quem saeculo XI exeunte iterum in honore habuerunt usque ad saeculum XV.

Nunc etiam in saeculo XX in novissimis quae approbantur orationibus, cursus maximi habetur, uti videre facile potest lector curiosus in oratione Missae de Christo summo atque aeterno Sacerdote, quam ad exercitium proponere juvat:

«Deus, qui ad majestatis tuae gloriam et generis humani salutem, Unigenitum tuum summum atque aeternum constituisti Sacerdotem: praesta; ut quos ministros et mysteriorum suorum dispensatores elegit, in accepto ministerio adimplendo fideles inveniantur».

JOSEPHUS ALVAREZ, C. M. F.

Albani, e Collegio Claretiano, VIII kalendas Decembres an. 1941.

Bohemicæ poeseos specimēn¹

Kalus: Varia hominum negotia

*Grandia gesta probat mortalis vita nec ullum
exiguum, modo sit utile, temnit opus.
Est, qui depulso nomen sibi vindicet hoste,
ast vaccas mulget hic, coquit ille dapes
huic custoditur grex prati gramina carpens,
illius regitur machina mota manu,
hic pisces, captat scarabaeos alter in agris:
est sua laus operae cuilibet, est et honor.*

Vertit Fr. PALATA, Moravus.

Otium Divos...²

*Bonanxa implora al cielo
en el abierto Egeo sorprendido
el nauta: negro velo
la luna ha oscurecido
y los guiadores astros escondido.*

*Paḡ imploran los Tracios
belicosos y el Parto saetero.
Ni purpura o topacios
ni el oro lisonjero
pagan, oh Grosfo, bien tan placentero!*

*Pues nunca por riqueza
ni lictores será tranquilizada
mente infeliz, ni cesa
en lujosa morada
de girar revolando angustia airada.*

*Brille solo el salero,
del padre herencia, en mesa reducida;
nunca afecto rastrero
o temor sueño impida.
Tal, en modesto haber, sabrosa vida.*

*¿Porqué en vida tan breve
tal frenesi? Qué, es lucro o heroismo
lo que a emigrar nos mueve?
Condenado a ostracismo,
¿quién hubo se expatriara de sí mismo?*

Bogotae in Columbia.

*Entra en barcos blindados,
ni da tregua a jinetes de legiones,
más rauda que venados
y Euro sobre turbiones,
inquietud que levantan las pasiones.*

*Contenta del ahora
la mente, del mañana no haya cura;
sonrisa alentadora
mitigue la amargura:
pues no hay nada colmado de ventura.*

*Fué por muerte temprana
llevado el gran Aquiles y acabado
Titón por edad cana.
Quizá me otorgue el hado
el tiempo a tu vivir arrebatado.*

*Siciliana vacada
con cien hatos te cerca bramadora;
la yegua amaestrada
a estadio vencedora,
a ti relincha. El traje te colora*

*la púrpura africana.
Díome el fiel hado sementera breve
y el desdeñar por vana
la malévola plebe
y de helénica musa un soplo leve.*

Vertit GULIELMUS LASERNA C. M. F.

1 Cfr. Pal. Lat. n.º 66, pag. 26. — 2 Hor. II, 16.

De Orthographia latina

II

Orthographia practica

Si ergo linguae latinae ratio scribendi tam varia fuit vertentibus saeculis, ut ex historicis annotationibus apparet, nos, qui ad praxim firmas et stabiles formas requirimus, quasnam selegemus? Classicas, nonne? Sed classica orthographia non semper eadem fuit. Caesar differt ab Augusto, hic vero aliter scribit ac Quintilianus.

Lucianus Mueller, ¹ ut jam prius innuebamus, hoc principium ad praxim statuit:

«*In lingua latina sequendus est mos scribendi, qui obtinuit apud cultissimum quemque Romanorum saeculo eo, quod fuit inter Augusti mortem et Trajani (ab a. p. Chr. n. 14 ad 117), proximum illud aureae litterarum latinarum aetati.*»

Cur ergo, objicies, ea orthographia non utamur quae ipsimet aetati aureae stricte respondeat, si, cum de grammatica sermo est, classicis locutionibus primatum tribuimus?

Lucianus Mueller nullam ad rem explicationem affert. Haec tamen nobis proponenda videtur. Aetate aurea linguae latinae nondum scriptio firma et definita erat. Variabat enim in multis.

Jam vero ea orthographia non est imponenda quae vigorem et firmitatem nondum obtinuerit, sed ea quae vere erronea non est, quaeque post longam consuetudinem praevaluit. Quod re vera non nisi sub aureae aetatis occasum evenit.

Atque id, nonne et in vernaculis linguis contigit? Nam orthographia, quae nunc scriptorum favore gaudet, maxime differt a ratione scribendi, quae apud classicos auctores, hispanos ex. gr., vigit. Quod ergo nunc in hodiernis linguis rectum censetur, quidni etiam in lingua latina?

Sed proprius ad rem accedamus atque

- A) principia orthographiae practicae statuenda curemus,
- B) indicem orthographicum summarie proponamus.

A) **Principia orthographiae practicae**

Regulae generales orthographiae latinae eadem fere sunt ac regulae quae in romanis linguis videntur, ideoque non est quod de singulis agamus. Tamen sunt regulae quae ob specialem in lingua latina difficultatem vel ob vitiatam consuetudinem praeteriri nequeunt. Hujusmodi regulae seu principia sese referunt:

- a) ad litteras initiales majusculas,

¹ Orthographiae et Pros. Latinae Summarium p. 5

- b) ad syllabarum divisionem,
- c) ad composita vocabula,
- d) ad casus speciales.

a) *Litterae initiales majusculae*

Litteras majusculis signis scribes

1) Initio cujuscumque scripti, necnon et post propositionem completam initio sententiarum seu periodorum.

2) In propriis nominibus aliisque quae ut propria adhibeantur; ita ex. gr.: *Ecclesia* (= fidelium Congregatio), *Scriptura* (=sacra videlicet), *Urbs* (= civitas Roma).

3) In appellativis nominibus quae Deum, Sanctos, egregias personas designant: *Omnipotens*, *Verbum*, *Virgo*, *Summus Pontifex*, *Venusinus*, *Mantuanus*.

At adjectiva proprie talia. etsi a propriis nominibus proveniant, non majusculis, ut plerique docent, sed initialibus minusculis scribes. Praxis contraria a vitiosa codicum capitalium transcriptione procedit; sed nunc humaniores viri nullam cum vernaculis linguis differentiam statuunt. Scribes, igitur: *vir celtiberis*, *romana virtus*, *fides punica*, *litterae sacrae*, *dies dominica*.

b) *De syllabarum divisione*

Syllabae in medio vocabulo hac ratione disjunguntur:

1) Cum una tantum consona inter vocales invenitur posteriori referenda est, ut usus fert in vernaculis linguis: *fa-ce-re*, *di-li-ge-re*, *a-mo-ri*, *cae-lum*.

2) Cum duplex consona est inter vocales, prima jungitur priori, altera posteriori: *aes-tas*, *ip-se*, *pos-terior*.

3) Cum vero tres consonae vocalem sequuntur, ultima cum posteriori vocali, priores cum superiore sociabitis: *sanc-tus*, *contemp-tus*.

Tamen hoc prae oculis habeas:

a) Cum e duabus vel tribus consonantibus ultima liquida est, tunc in syllabarum divisione, liquida et praecedens consona simul posteriori vocali adhaerent: *pro-prius*, *ae-grotare*, *cas-tra*.

Igitur regula satis trita in occurso duarum vel trium consonantium, tot sequenti syllabae referendae, quot initio vocabuli latini inveniri possint, non nisi a saec. V inducta, ideoque ab hodiernis scriptoribus jure rejecta. Scribes, ergo: *plaus-trum*, *dig-nus*.¹

β) Composita vero vocabula, juxta elementa quibus constant, recte divides: *con-stituere*, *con-scribere*, *pro-spicio*, *red-eo*.

At si pars prior compositi subobscura sit aut non integra, sequente vocali, ad regulas simplicium verborum distingues, v. gr.: *ani-madverto*, *po-test*, *ve-neo*. Idem dicendum de verbis *quo-niam*, *e-tiam*, et similibus, quia *i* in his in vocalem transit.

¹ Cfr. Leges in Scriptis Pontificii Institutii Biblici servandae. Romae 1913. p. 11.

c) *Composita vocabula*

In verborum compositione, duplex distingui solet orthographia, etymologica videlicet et euphonica. ¹ Prior, in codicibus et veteribus inscriptionibus usitatissima, per simplicem «*juxtapositionem*» procedit; posterior, vertentibus saeculis vulgatissima, ad «*assimilationis*» regulas aptatur. ²

Jam vero quaestio practica orta est utra praehabenda sit. Ex utraque parte sententiae. Etymologica enim et antiquior et magis perspicua, at durior et posterioribus saeculis rarior, quanquam non desint viri peritissimi qui eam iterum inducere curent. Euphonica vero et legibus phoneticae latinae magis concors, quarum amantissimi fuerunt tum graeci tum romani, et per longum tempus ubique fere terrarum trita et pervulgata.

Igitur cum utraque legitima sit, non est quod angamur animo. Sit in rebus dubiis libertas.

Quod tamen nihil obstat quominus mihi, ubi duplex constat scriptura, ea maxime placeat quae commendatur soni suavitate. Etenim, cum certum sit «*Romani saepe non eodem modo pronuntiasse atque scripsisse*,³ —quod maxime in praepositionibus seu praefixis apparet—, cumque vim quandam adhuc retineat illud Quintiliani: «*in scribendum quidque judico quomodo sonat*»,⁴ nescio cur ab euphonica orthographia quae optimo jure praevaluit recedendum.

Ergo in ordine orthographico noli mirari, lector humanissime, si malumus in proponendo regulas praesertim ad composita verba conscribenda, euphonicae potius orthographiae consulere. ⁵

d) *Regulae speciales*

Regulas quae sequuntur CILIVS. JOVAEVS, PALAESTRAE nostrae institutor et fautor, sociis et scriptoribus in «*Candidato Latino*»,⁶ unde eas exscripsi, eisdem fere verbis proponebat.

¹ Euphonicam dicimus potius quam phoneticam, quia phonetica orthographica proprie ea est quae signis specialibus utitur sonis uniuscujusque litterarum respondentibus. Ad rem verba CILII. Brugmann: «*Les signes graphiques traditionnels des peuples indo-européens, auxquels on doit se reporter pour étudier l'évolution phonétique en ce qui concerne le passé des langues, ne sont jamais que des représentations incomplètes de la parole vivante. Les symboles graphiques répondent en gros à la prononciation du temps où il on été introduits; mais la prononciation change avec le temps et les symboles graphiques ne changent ordinairement pas d'une façon qui réponde à cette évolution: ou bien ces symboles restent simplement en usage, ou bien, si l'on ti:nt compte dans l'écriture des changements de la langue, cela ne se fait le plus souvent que quelques temps après qu'ils se sont produit... — C'est pour cela que l'on a si souvent une orthographe dite historique à la place de l'orthographe phonétique.*» (Brugmann, *Abregé de grammaire comparée des langues indo-européens*, trad. franç. de Bloch, Cuny, Ernout. Paris, 1905; pag. 43.)

² Cujus rei exempla habes in verbis graecis et romanis, v. gr.: ἐμβάλλω (ἐν-βάλλω) συρρέω (συν-ρέω), ἰμρυνο, irruo (in-ruo), caeruleum (pro caeluleum), Gracchus (pro Gracchus), meridies (pro medidies).

³ MUELLER, op. c. De assimilatione praepositionum pag. 22.

⁴ QUINT. Inst. Or. I, 8. 30-31.

⁵ Veteres grammatici euphonicam orthographiam maluerunt cfr. KEIL. Grammatici latini vol. VII de Orthographia, passim, sed speciatim pag. 151, 162, cct.

⁶ Cand. Lat. n. 11, pag. 4.

1) Ante litteras labiales *b, m, p, f*, cum *i* ad *u* fluctuabit, *i* nobis perpetuo erit, ergo *optimus, libido*, minime vero *optumus, lubido, cet.*

2) Plurales in *es* tertiae declinationis in nullis vocibus per *is* sufficiemus: *tres vidi naves*, nequaquam *tris vidi navis*.

3) Concurrentibus in eodem vocabulo *u + u* vel *v + u*, non scribemus earum alteram *o*, ut plerumque tempore Reipublicae accidit.

4) Concurrentibus item duobus *ii* vel *ji*, *nisi* in vocativis nominum in *jus* et *ius* praecedenti vocali, nullam earum litteram expungemus in caeteris casibus, quanquam haec fuerit mos a classicis servata.¹

5) Quoad diphthongos probatissimos sequemur auctores.

6) Litteras graecas *y, th, ch, ph, z* non nisi in vocabulis vere graecis admitemus.

7) Servabimus litteras *j* et *v*, quae sonum expriment consonantium *i* et *u*, duplicem apud veteres communiter repraesentantes sonum, vocalem scilicet et consonam. Sed de hac re fuse lateque dicemus postquam de orthographicis notis breviter egerimus.

a) De orthographicis notis

In lingua latina iis fere orthographicis notis et simili ratione utemur quibus in vernacula lingua, sed expressum tantum in fine signum interrogationis et admirationis.²

Quoad interpungendi notas nimii ne simus in eis adhibendis, ne structura periodi latinae evertatur et membra resecentur. Verba igitur Muellerii meminisse juvabit:³

«Itaque non ponendum comma ad separandum a verbo finito accusativum cum infinitivo vel ablativum absolutum, neque opus est sensus relativos, ubi participii periphrasis eis continetur et omissum est pronomen demonstrativum, includi commatis. Scribendum igitur *frustra negas crimen esse verum. Re cognita Caesar* (sive *Caesar re cognita*) *in Galliam perrexit*. Praeterea potest scribi: *eum omnes qui norunt amant. Sedulitas autem stulte quem diligit arguet*. Praeterea ante *id quod*, si eo respicitur totum enuntiatum, ponendum comma, non post *id*: *Timoleon, id quod difficillimum putatur, multo patientius tulit secundam quam adversam fortunam*».

J. M.^a JIMÉNEZ, C. M. F.

¹ Ad Propertium et Ovidium usque in *genetivis substantivorum* in *iuset jus* exeuntium unum *i* et scribebant et pronuntiabant, ut *Tuli, consili*. Postea scribere coeperunt *Tulii, consilii*. — Similiter veteres scribebant *Pompei, Bais, Majis* in nom. dat. et ablat. plur. verborum in *ajus* et *ejus* exeuntium.

² Licet tamen ad calcem recensere notas speciales quae a graecis et latinis grammaticis versibus apponi consueverunt, ex. gr.:

— *obelus*, ut versus improbi aut incongrui notarentur.

• *asteriscus*, illis locis appositus ubi sensus deesset.

∩ *antisigma*, ad eos versus quorum ordo permutandus erat.

∩ *obelus cum puncto*, ad ea de quibus dubitabatur tolli deberent necne.

> *diple*, ad separanda verba; > — *diple obelismene* ad separandas periodos in comediis et tragoediis.

— < *obelus cum aversa*, quotiens strophae antistrophos inferuntur.

↑ *ancora superior*, ad aliquod praecipue dictum.

↓ *ancora inferior*, ad inconvenientius quid enuntiatum. Cfr. Keil, Grammatici Latini VII, pag. 533-536.

³ MUELLER, op. cit. p. 14.

MOLAE SUBTERRANAE¹

SATURNIUS. — (*secum loquitur*) Omnia perire, omnia! Exanimor ira et terrore. Probus, Probus iste nefas-tissimus meus est daemon malignus neque quiescit dum me contrivit, Clamores, probra, execrationes militum adhuc in auribus meis tinniunt. Singulis temporum momen-tis in unguibus illarum catervarum a daemone obsessarum me esse pu-tabam. Juro, fore ut, nisi furiae in-ferorum me deseruerint...

METRANUS. — (*blandiloquus*) Attende, Saturni! Conservabo has margaritas pretiosas, ne tibi amittantur... Omnesne sunt sinceræ?

SATURNIUS. — Quid mea, cum sim ho-mo miserrimus, adhuc interest hos thesauros possidere!...

METRANUS. — Oh! (*amplexus osculatur arculam*).

SATURNIUS. — Recens ac terribile consi-lium exurgit ex animo meo.. Fuge-re non possum, minime... Accipe... accipe has gemmas et margaritas, at hac condicione...

METRANUS. — Qualis est?

SATURNIUS. — Pretium sunt pro vita Caecilii.

METRANUS. — Sit ita!

SATURNIUS. — Ubi, ubi eum reperiam?

METRANUS. — Ibi! (*dextra demonstrat eo, ubi est Caecilius*).

SATURNIUS. — (*pugnum ad caelum tollit*) Vobis, dii inferi, devoveo sangui-nem ejus ac mortis cruciatu! (*irru-it ad illum locum*).

SCAENA SEPTIMA

Saturnius, Metranus, Narses

(*consistit gladium tenens ad introitum*)

NARSES. — Sic non proceditur. (*ira et admiratione incitatus paululum rece-dit Saturnius*)

METRANUS. — Quis tibi, proditor, dedit hoc telum?

NARSES. — Justitia divina.

SATURNIUS. — Querite, furor et ira, vo-bis liberum exitum!

METRANUS. — Ad me! Ad me, servi! (*sig-num tubae et clamores e longinquo re-sonantes*) Despero! Pistrinum a mili-tibus occupatum tenetur.

SCAENA OCTAVA

Valens, Caecilius, Metranus,

Saturnius, Narses

(*Saturnius et Metranus se contulerunt ad dexteram partem frontis scaenicae. Sa-turnius insolenti vultu intuetur ad latus versus, unde milites veniunt. Metranus oculis ad terram versis, arculam amplexus tenet. Valens festinat intrare cum militibus, qui consistunt in parte scaenae extrema et progreditur in partem scaenae mediam. Narses manibus adhuc tenens gladium si-nistra impedit Caecilium, ne progrediatu-r ulterius; in hoc statu uterque manet, dum Saturnius et Metranus sunt in manibus mi-litum*).

VALENS. — Omnia, nefasti, habentur re-perta. Olympius et Ascanius in nos-tra sunt potestate et aliis quoque argumentis accusaris, Saturni, sce-lerum ac criminum! Cumulis ossium humanorum in tui templi cameris absconditis, corpore infantis recen-ter mactati labris inauratis in foro nunc expositis omnibus civibus es, monstrum immane execrationi! (*duo milites progressi excipiunt in se medios Saturnium et Metranum, quo-rum bracchia tenentur ab eis*). Num hae sunt victimae, quae tuo Jovi complaceant?

SATURNIUS. — Ritus sunt Imperii. Impo-siti mihi erant secundum deorum

¹ Cfr. Pal. Lat. n. 69, pag. 101.

voluntatem. (*ad milites*). Me dimitte!

VALENS. — Dimittent te traditum carnifici (*ad Metranum*) Sed et tu, venerator diabole, qui negotiatus es sanguinibus hominum, cruciatibus necis experieris, quantis angoribus catervas miserorum vexaveris: molae adstrictus ac devinctus, flagellis verberatus atque calamitate oppressus vitam residuam deges morte ipsa luctuosorem! Milites! (*Illi duo milites ducunt Saturnium et Metranum ad extremam scaenae partem et aperiunt viam Probo, quem advenisse animadvertunt. Scaena satis velociter vergit ad finem*).

PROBUS. — (*post scaenae parietes*) Caecili, Caecili!

CAECILIUS. — (*accurrit patri*) Mi pater! Pater mi! (*Priore voce Probi audita Valens se recipit dextro versus, Narses gladio ad terram directo stans manet. Probus et Caecilius conveniunt in scaenam mediam et alter alterum amplectitur. Morula. Duo milites abducunt Saturnium et Metranum*).

PROBUS. — Tu, Caecili! (*se liberans ex amplexu*).

CAECILIUS. — Quantos cruciatus, mi pater, inter has molas subterraneas!

NARSES. — (*accedit ad Probum et genua flectit*) O mi domine optime!

CAECILIUS. — (*dextra monstrat Narsen*) Me defendit.

PROBUS. — (*superatus variis animi affectibus imponit dextram super caput Narsis*). Narses!

VALENS. — (*accedit propius*) Mi avuncule!

CAECILIUS. — (*demonstrat Valentem*) Me servavit.

PROBUS. — (*dextram porrigens et extendens comprehensam tenet manum Valentis*) Gratias ago beatus. Quantam felicitatem hoc temporis momento! Recepti filium; religio christiana triumphat; in perpetuum abrogatus atque abolitus manebit taeterrimus cultus idolorum! Exoritur atque effulget recentis temporis splendor. Honos tibi, Deus, et gloria!

(*Aulae m premitur*).

FINIS ¹

A. EREM. VIATOR, S. D. V.

De Boëthianis Metris

Omnium latinorum poetarum qui majori metrorum varietate in suis operibus usus est fortassis sit Boëthius. Pleraque metra ab auctore «*Consolationis*» adhibita formam classicam artis metricae latinae retinent, sed quaedam alia ita classicis poetis fuere prorsus ignota, ut potius corruptiones quam variationes aut diversae species versuum classicae metricae dici possent. Hoc verum esse, in animum nostrum inducemus, si, ad examen metra boëthiana revocantes, comparationem inter formam versuum classicorum et metrorum boëthianorum statuamus.

1.) Loquamur in primis de *versu asclepiadeo*. Hujusmodi versus hoc est classicum schema juxta metricae latinae praecepta. ²

— — | — u u | — | — u u | — u u |

Maecenas atavis edite regibus. (Horatius)

Boëthius tamen hunc versum aliquantulum immutavit, indistincte ponens in primo et secundo loco spondeum aut dactylum pedem atque ultimum dactylum in spondeum convertens, ut conspici licebit in Metro II.

— u u | — u u | — | — u u | — —

¹ Hanc lepidam in quinque actus descriptam fabulam nobis a P. Antonio Erem. Viatore S. V. D. permissam, quaeque anno MCMXXXVI m. martio in Palaestra vulgari coepta est, nunc denum ad finem duximus. Consilium fuit editionem specialem ejusdem conficere, sed in praesentiarum id fieri nequit. *Actuarius*.

² Cfr. *Llobera*, Gram. Class. Latinitatis. Barcinone 1920. pag. 538 et seq.

CLARETIANA

Notanda in Beati Claret "Studiorum Ordine" ¹

- Curiosus.** Non pauca inuror curiositate plura de Beati CLARET pro Latinitate fovenda addiscendi conatibus; facere tamen non possum quin prius interrogem circa ipsa, quae nuper tradidisti, ni tibi molestum erit.
- Professor.** Dic faveas, ceteraque in aliud tempus retrahamus.
- Curiosus.** Tuam, in excerpando Studiorum laudato Ordine, mentem sentio mihi fuisse christianismum in classicos ethnicos introducendum fore tamquam lucem, quae tenebras, summorum etiam ingeniorum mentes obumbrantes, illuminet.
- Professor.** Equidem recte.
- Curiosus.** Sed neque communis neque hodierna dicenda haec videtur via.
- Professor.** Et tamen vera. Nihil sane Latinas adumbrabunt litteras fulgores christianae veritatis, neque earum minuet pulchritudinem casti luminis suprema pulchritudo.
- Curiosus.** Unum ergo pro christianis optatum valet.
- Professor.** Et pro omnibus, pro christianis vero maxime; pro ecclesiasticis autem viris, quid nisi necessarium dicendum erit?
- Curiosus.** Quid vero de Latinitate non aurea plurimorum scriptorum?
- Professor.** Superat linguae defectus immensa thesaurorum praestantia, quos pro temporum condicione in pauperum involucro servare tamen nobis non destitit veneranda antiquitas.
- Curiosus.** Paedagogiam autem evertemus, si, cum mentes imbuuntur, bonas cum malis formis introducamus.
- Professor.** Nec ego quae pessima, sed optima alumnis esse tradenda probō.
- Curiosus.** Libentissime modo patebunt aures, si jam quid audiri libeat de auctoribus christianis a Beato CLARET prae laudatis.
